ORATIO
IN FUNERE
REVERENDISS. PATRIS
CAJETANI
POLITI

Laurinenſis, totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. FRANCISCI Miniſtri Generalis

HABITA IN REG. TEMPLO S. DIDACI NEAP.

A

P. FRANCISCO-ANTONIO MARIANI,

E Regno Corſicæ in eodem Conventu Sacræ Theologiæ Lectore Generali.

NEAPOLI M. DCC. XLIV.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Honoratorum Virorum laudes in concione memorantor: eoſque etiam cantu proſequuntor.

M. T. Cicero lib. 2. de legibus.

Digitized by Google

A.R.P. ANDREÆ CAROZZA

AB ALTAVILLA

Ex Ordine Minorum S. P. N. Franciſci Lectori jubilato, Prædicatori Generali, almæ obſervantis Provinciæ Principatus ex Miniſtro Provinciali, aliarumque Provinciarum Commiſſario Viſitatori.

P. F. FRANCISCUS ANTONIUS MARIANI

S. P. D.

MOs eſt vetuſtiſſimus jam uſque ab literarum exordiis, Pater Præſtantiſſime, ut, qui publici juris ſua ſtudia faciunt, ea nonniſi literarum cultori eximiõ commendent, quibus vel illius ampliſſimum nomen & præſidii ſit, & ornamenti. Neque vero ob id ſolum: ſed tum ut pro beneficiis acceptis animi gratitudinem oſtendant, tum demum ſi deprehenderint: rem

ipſam, quam deſcribendam ſuſceperunt, illi omni jure convenire; Quæ cum ita ſint. Pater optime, laudationem hanc funebrem cui potius quam Tibi conſecrarem? Enim vero exiguum licet ſit munus, ſitque opus hoc mole parvum, nuncupandum erat non alteri potius quam Tibi. Siquidem in eo vides, Supremi Totius Ordinis Minorum Præfecti mortem tuis præſertim lacrymis, acerboque omnium dolore celebratam: commemorata vides illius præclara facinora, atque res geſtas, qui Tibi erat antiquo, ac Sincerô amore conjunctiſſimus. Demum vides, tragicum Orationis hujuſce ſubjectum eſſe Cajetanum Politium, quem nemo Te alius magis amavit, à quo nemo Te alius amabatur magis. Scilicet ſummo ille habebat in pretio animi tui virtutes: atque admirabatur in te judicium illud cum primis grave, atque prudentiſſimum., tum quoque erga omnes charitatem tuam, ac pietatem ſingularem. Quam erga ſe ipſum jampridem expertus fuerat: ac præcipuè cum acerbo diuturnoque morbo anni pluſquam unius intervallo (qui ei fuit emortualis) miſerrimè laboraret. Admirabatur quoque non vulgaris literaturæ ornamentum: ac præſertim ingenium tuum, ita ad facultates ferme omnes natura veluti comparatum, ut in iis excolendis, ad maturam licet perveneris ætatem, continuo illud exerceas. In eam certe opinionem præſtantis doctrinæ, ac eruditionis tuæ devenere ordinis noſtri Rectores Sapientiſſimi, qui Te adhuc juvenem ad nobiliores cathedras deſtinarunt: in quibus quanta cum laude ac

pro-

Digitized by Google

profectu Philoſophiam, ac Theologiam edocueris adoleſcentes noſtros, Lycium, & Neapolis (inter cæteras) noverunt urbes literis florentiſſimæ. Inde vero factum eſt, ut ad ſupremam hujus Provinciæ Præfecturam communi plauſu eveheretis, quam non niſi ſummo omnium mœrore (tribus de more emenſis annis) depoſuiſti. Alliciebant enim omnium animos tum mira ſollicitudo, qua illis bona cuncta procurabas, tum gravitas illa cum tanta morum ſuavitate conjuncta, ut obtemperare Tibi non modò rem juſtam putarent, ſed glorioſam ſibi, atque jucundiſſimam. Quæ profecto virtutes, atque egregia in rem noſtram publicamque merita in cauſsa fuere, quod Tibi graviſſima Ordinis negotia committerentur, atque à ſummis Familiæ noſtræ Præfectis, ampliſſima Tibi authoritate donata, Panormum in primis, inde Anconam, inde Barium, & denique Bononiam mittereris, Provincias illas viſitaturus. Quæ mecum ipſe revolvens animo, Pater optime, fateor me, dum Tibi hoc quidquid eſt muneris nuncupo (ſi illud in ſe ſpectetur) inconſultæ audaciæ redarguendum eſſe. Sed qui me ſingulari benevolentia proſequeris, teque ipſum mihi & Patrem, & commodum impertiris, pudebat ſanè, tamdiù vacuum agere, ac deſidem pati tuis eſſe in nominibus. His cum aſſiduè tuorum in me promeritorum delecter æquè ac provocer imaginibus, non potui animum cohibere, quin tibi ſiſterem hunc qualemcumque laborem meum, atque aliquam hoc pactò rependerem gratiam. Orationem igitur hanc et ſi mole parvam,

vam, & incultam ſtylo; excipe, quæſo, humaniſſimo, quo ſoles, vultu: utut equidem ea ſit, ſemper animo tuo morem geres, ad comitatem unice nato: ſive enim aliquid in te redundabit gloriæ, ſive longe plus in me e tuo nomine refundetur: alterum officio in te meo dabis, alterum benevolentiæ in me tuæ. Vale.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

QUANTAM hodierna Dies triſtitiam, Viri ornatiſſimi, quantumque mærorem nobis omnibus, & univerſo ſodalitio noſtro, per finitimas non ſolum Regiones, ſed ubique gentium diffuſo uſque ad ultimas terrarum plagas, celeberrimæ demum Urbi huic, & Regno omnium florentiſſimo adferre debeat: ipſa illa ſacra declarant, quæ ad obitum, triſtemque e Vita diſceſſum ſummi Viri totius Franciſcanæ Familiæ Moderatoris ſupremi deplorandum, ac certe juſtis, & neceſſariis officiis proſequendum, hac luce magna cum Cæremonia Religioneque celebrantur. Menſis jam ab infeliciſſimo illo die agitur, quo cum dulciſſimi Parentis obitu non modo felicitatis, ſed & animorum noſtrorum miſerrimum funus, ac fatale adeo conjunctum eſt, ut quantum privatim ad ſocietatem noſtram mæroris, ac

pu-

Digitized by Google

publicæ calamitatis pervenerit, vos ipſi dignoſcere poſſitis,& quæ in nos hactenus inde coorcta jactatio eſt, aperte id palamque declaret. Tametsi numquam credidi Auditores optimi, fieri poſſe, ut qui olim tribus ferme abhinc annis Cajetani Politii (cujus vel dulci nomine audito perfundor lacrymis) inſigniter res geſtas, ſapientiam, virtutes, & præclara facinora tanto Urbis hujus plauſu, tanta ſummorum virorum omniumque Principum gratulatione in hoc eodem Templo celebrari Sæpiùs ipſe Ego audiviſſem, ejusdem hodie immaturam mortem, funuſque acerbiſſimum, ipſam denique optimi Parentis memoriam ille, inquam, ego præ omnibus lugubri hac oratione mea proſequerer, atque lacrymis noſtris, ac luctu parentare ei, perpetua famæ Celebritate victuro. Quam ego tanti viri jacturam, & tam adverſum infeſtumque caſum revolvens animo, quum neque glorioſius, neque juſtius nos umquam doluiſſe, neque impoſterum fortaſſe nobis, puto, intenſiori mærore eſſe dolendum, tum mihi in hanc lucem prodeunti acerbiſſimo caſu contaminatam nil moleſtius

ac.

Digitized by Google

accidere potuiſſe, tamque calamitoſum intelligo, quam, ad vos verba facere, qui incredibili voluptatis ſenſu vivi laudes excipere conſueviſtis, ut inde me, tantis ab eo beneficiis in ipſo adoleſcentiæ flore cumulatum, de illius morte ægre admodum dicentem audiatis.

Proh ſuperum, atque hominum fidem! Heu quam atroci dolore me cuncta percellunt in principiis dicendi, atque etiam quæ oculis obverſantur! Nam in ore omnium, oculiſque veſtris eminentem dolorem intueor, & in mutis hiſce, atque inanimis parietibus, quibus ſi vel illius exanimis præſentia tribuere ſenſum aliquem poſſet, nullus profecto nullus eſſet hujuſce Templi angulus, graviſſimi doloris expers, nullus, qui ſuam apud ſe mæſtitiam tacitus contineret. Vos igitur, Cives optimi, per Deum immortalem rogo, obteſtorque, ut in tam luctuoſo rerum noſtrarum ſtatu, me gravi dolore vehementer perculſum, & afflictum, ſi nil jucundum, ornatumque tribuam orationi meæ, patiamini: Nullum quippe voluptati ſupereſſe locum in tanto Familiæ

B no-

Digitized by Google

noſtræ ſqualore, ac communi bonorum omnium luctu Vos ipſi ſtatuetis, ſi tantum illud. que graviſſimum Ordini noſtro illatum damnum perpendere velitis; dum Cajetanum Politium, ſummum Familiæ noſtræ Præfectum, & ornamentum, magnum literariæ, & Chriſtianæ reipublicæ decus, virum doctrinæ, ac probitatis fama celebratiſſimum amiſimus. Parcite ergo, Cives optimi, parcite dolori meo, ſi nec ita loquar, ut vos oblectem, si quid lacrymarum a vobis expoſco, quibuſcum & Patriam communem habuit, qui vos perpetuo coluit, & adamavit; vereor enim ne vos, ſi lacrymas (heu nimis juſtas!) cohibere vellem, id certe iniquum, ac turpe exiſtimaretis. Dum interim excelſas ejus animi dotes, & illuſtria facinora infelici hac oratione mea complectar, videte, obſecro, quem vobis animum ſuſcipiendum putetis.

Ego quidem ſic ſtatuo: tanta eſſe Cajetani mortem comploratione lugendam, quantam nobis ſpem, dum viveret, ac jucunditatem virtutes ejus adferebant. Attendite.

Atque ut ab eo loco in quo ſumus inci-

piam,

Digitized by Google

piam, illud in primis maximum ſe nobis offert intimi mæroris incitamentum, quod immaturo quidem & inopportuno funere ablatum deplorare cogamur Parentem dulciſſimum, cui pares non admodum multos ſuperiora ſaecula viderunt, quem ex illuſtri ortum Familia inclyta hæc Urbs optimarum artium ſtudiis ſumma cum laude, ac profectu pene incredibili erudivit, cujus pulcherrimam indolem, egregiumque ingenium intra teneritudinem (1) illam infantilem admirata eſt. Et vero quis noſtrum non mæreat, qui olim jucundiſſimo tanti viri conſpectu cum recrearemur, ac regeremur imperio, nunc ab eo abſtracti, & avulſi, qui cum nobis, quaſi cum liberis parens vivebat (2), eoſdem nos eundem ſe putans, & lacrymis ob ejus mortem, & ſummo dolore perfundamur: atque mærere hoc Templum, quod olim de tanta gloria ob

 illius

(1) *O quis crederet intra teneritudinem illam infantilem tantam eſſe virtutem inclaſam! S. Thom. de Villa-Nova.*

(2) *Ex Plin. in paneg. Traj.*

Digitized by Google

illius præſentiam gratulari videbatur?

Quæſo, viri doctiſſimi, refricate ejus temporis memoriam, quo ex Hyſpaniarum Regnis, ad Supremam ordinis Præfecturam evectus, in Urbem hanc omnium maximam nobiliſſimamque redivit; atque Templi hujus parietes ipſos recordemini; quos eo die periſtromatis adornatos lætari aliquo pacto, & geſtire putabamus; nudati nunc, (heu quis crediſiſſent!) & ſpoliati ornamentis omnibus nonne lugere vobis quodam modo videntur, atque in ſordibus ſqualoreque verſari? O miſeram mortalium vicem! O rerum humanarum inſtabilem conditionem! Quæ cum felicitati omnium invideat, illorum hominum vita frui non ſinat, quos optimus, & maximus ille Deus deſtinavit ad felicitatem noſtram procurandam perficiendamque. Itaque tanta vexatus calamitate, tantoque luctu circumcluſus animus noſter, quid, oro vos, eximium, & conſolabile remedium aut ſuſcipere, aut cogitare poteſt? Mirum, ni ſeſe abiiciat, ac veluti deſperatione perculſus humi jaceat. Et ſi enim non ſolum Catholica Fi-

des,

des, ſed & ipſa philoſophia adverſus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ inſidias animum munivit: quæ ita fortis eſt, ut nullius injuriæ impetum extimeſcat: ita lenis, & ſuavis, ut omnes acerbitates facilè mitiget, ac molliat: Si tamen amor (1), ſi pietas ejus, ſi virtus, ſi gravitas, ſi conſtantia, ſi cætera, quæ vix in aliis ſpectari, nedum requiri ſolent, conſiderentur, tanta facta jactura, graviſſime dolere debuimus. Immane quippe ingrati animi vitium eſſet, ni Parentem optimum ea, qua poſſumus, amoris recordatione proſequeremur, qui nos omnes tot tantiſque beneficiis adauxit. Ego quidem, Auditores, cum mihi de ejus morte eſſet adlatum, opinione omnium majorem animo cæpi dolorem: nam, eo amiſſo, cum conſuetudine jucunda tum multorum officiorum conjunctione me privatum videbam, & interitu tanti viri dignitatem univerſæ familiæ diminutam; illudque alterum dolebam, quod alieniſſimo rei ne-

(1) *Ex lib. de Conſolat., quem Tullio omni jure abjudicant eruditi.*

noſtræ publicæque tempore extinctus, & auctoritatis, & prudentiæ ſuę triſte nobis deſiderium reliquerat. Quamquam enim occultiſſima Divinę mentis conſilia humanis rationibus metiri temerarium ſit, ac prorſus indignum, quę potius religioſe venerari, quam curioſius introſpicere, nobis datum eſt; cum tamen vel ipſa natura duce noverimus, ſupremum, optimumque Deum totam humanarum rerum habere procurationem, atque ab ejus mente (1), & ratione mundum adminiſtrari, & regi, neque vero id ſolum, ſed etiam ab eodem vitę, fortunę, incolumitati hominum conſuli, & provideri, quanta nobis in Cajetani morte facta ſit calamitatis aceſſio, Vos ipſi judicate; quem ad Sacram Familiam noſtram ampliſſimamque regendam, ac gubernandam iccirco natum fuiſſe, ipſa ejus infantilis ętas oſtendit. Et vero ſi relegam pueritiam illam, qua Parentis optimi formari animus cœpit, quid cauſſę fuiſſe exiſtimatis,
quod

(1) *Ex cit. lib. 1. de Nat. Deor.*

quod ingenti admodum deſiderio erga ſodalitium noſtrum accenderetur, ut nec dulciſſimæ Matris, (cujus erat unicus filius) tenerrimus amor, nec ſæculi voluptates, nec paterna bona dimoverint, quin etiam ante præſcriptum tempus, incepto vix anno quarto decimo Franciſcanæ Familiæ adſcriberetur? Minima hæc, nec quæ tanti habenda ſint, nobis mortalibus adparent perſæpe: Sed hiſce ſignis antegreſſis ceu radiantibus faculis patefieri nobis interdum Cæleſtis providentiæ arcanum: quidve de hominum ſorte eventurum ſit, quos nempe ad Regni clavum, quos ad arma tractanda, quos ad Reipublicæ incolumitatem, quos ad Sapientiæ gloriam deſtinaverit Princeps ille Deus, nullam quidem gentem ſcio (1) neque tam humanam, tamque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram quæ ignoraverit. Vehemens enim illa animorum propenſio, qua ceu naturali pondere, occultaque vi ad ſacra, & optima quæque infantes

ip-

(1) *Ex eodem in lib.* 1. *de Divin.*

ipſos ferri conſpicimus, magnificum quidem eſt, & luculentiſſimum futuræ magnitudinis argumentum. Quæ cum ita ſint, quantam Auditores, quantum in hoc uno funere cladem ordo noſter accepit univerſus, qui non mediocre ſuæ dignitatis præſidium, ac columen jam pridem in Cajetano conſtituerat? Heu miſerum me, me infelicem, cui Parentis optimi Sapientiam commemorare contingit; non adlevandam, ſed augendam magis feritatem doloris! O acerbam mihi, Auditores memoriam temporis illius, quo adoleſcens ipſe vix in literarum paleſtram deductus, Majorum imperio factum eſt, ut præter conſuetudinem nobiliores exedras occuparet, noſtramque erudiret juventutem, earum rerum ſtudiis, quibus optima ingenia informari ſolent ad rem Chriſtianam, publicamque juvandam. Quæ, rogo vos, Patres Religioſiſſimi, qui tantam ejus doctrinæ, ingeniique amplitudinem, in ipſo tyrocinio admirabamini, quæ ſpes, qui ſenſus, quæ vos tenebat expectatio? Magnam vobis ipſis adferri gloriam ſentiebatis ex ejus doctrina, magnam adoleſcen-

tibus noſtris, magnam inde univerſo ordini laudem, ac felicitatem unius Cajetani Sapientiam eſſe adlaturam conjiciebatis. Vidit Urbs Roma, Bononia vidit, aliæque viderunt ex Italia noſtra Urbes ameniſſimæ, quam naturalis, & Sacræ eruditionis compos, ad doctiſſimorum hominum imitationem aſſurgeret, illamque ingenii claritatem, cui parem in tanta juventute ſplendorem jactare poterat nemo. Sed jam in Regiam hanc Urbem, Muſarum Sedem, ingeniorum Parentem, Optimarumque artium altricem eximiam Præfectorum imperio revocatus, quæ ingenii ſui fecerit experimenta, quam pertinaci labore diſciplinas fermè omnes comparaverit, quam uberi fructu doceret, quanta jucunditate loqueretur, Vos ipſi non ſemel, aut iterum audiviſtis.

Prætermitto excelſum illus, ac prope ſingularem tum Poeſis, ac eloquentiæ ornamentis, tum philoſophicis, ac præſertim naturalium rerum diſciplinis expolitum animum: prætereo memoriam pene incredibilem, vetuſtiſſimis Græcorum, & Romani Imperii

hiſtoriis fæcundatam : taceo acutiſſimum ingenium tum ſacris hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, tum Criticæ artis, & juris prudentiæ notionibus univerſis mirificè refertum. Clariora profecto hæc ſunt luce ipſa, & per ſe cunctis notiſſima, ut, vel me tacente, Vos ipſi confirmaveritis. Date hoc mihi, Auditores, ut ea conſultò prætercam, quibus Cajetani ingenium, doctrinamque mirabilem præter omnes eloquentiæ vires extollere poſſem, ac primorum quodammodo temporum doctioribus viris exæquare. Quanta enim, & quam præclara hæc fuerint in Cajetano Politio, qui ignoret, arbitror, fore neminem; quorum ſplendor tantus oboriebatur oculis clariſſimorum veſtræ urbis hominum, (quos ceu doctrinæ, & ſapientiæ portenta veneramur) ut merito, & jure dubitarint, ipſe ne Majoribus, an Majores Ipſi plus adtulerint decoris, & ornamenti. Quid vero commemorem Humanitatem ejus, liberalitatem, comitatem erga omnes? Quid ejus animi moderationem, modeſtiam in proſperis, conſtantiam, fortitudinem in adverſis? Quid reliquas virtutes (quod pluris

fa-

faciendum eſt) religioſo viro dignas, cum tanta morum ſuavitate conjunctas: quarum omnium concurſu facto, (quod de Placilla dixerat Nyſſenus) humanæ naturæ (1) miraculum incredibile factum eſt? Nollem, Auditores, nollem, cum hæc auditis, aut meo dolentis filii nimio amori, aut adulationis vitio (2), quo plurimi fortaſſe laborant, adſcriberetis. Nec enim probavi unquam, Cives Optimi, illud orationis genus indignum, quæ vel ab incertis, vel a mendacibus actorum monumentis omne robur ſumſiſſe videtur. Eorum dementia ſit hæc, qui Majores ſuos laudaturi ſummâ plæclarè factorum egeſtate laborant. Hoc unum ipſe doleo, quod tam multa, tamque honorifica inclyti Parentis geſta, quæ nulla vetuſtas obruet, nulla delebit oblivio, ea qua par eſt, dicendi copia nequeam complecti, & vix, obortis lacrymis,

 eſ-

---

(1) *In Serm. fun.*

(2) *Tantùm a specie adulationis abſit gratiarum actio mea, quantùm abeſt a neceſſitate. Plin. in Paneg. Trajan.*

eſſari ſinat intermiſſa parumper doloris magnitudo: Agite jam, ſic vos ſuperi ament, Auditores: quanta fuiſſe Cajetanum religione exiſtimatis, in quo Supremi Numinis præſtans illud, & planè admirandum munus agnoverunt Familiæ noſtræ Rectores Sanctiſſimi, ut in graviſſimis quibuſque negotiis ſummam in eo ſpem collocaverint? Teſtem voco inſignem in Apulia S.Nicolai Provinciam, in qua ſplendidam obivit legationem, & pondus ſuſtinuit, præter expectationem omnium, non mediocribus conſiliis. Teſtem appello Romam, ubi nomen ſuum clarum, & illuſtre poſteritati tradidit, cum in ea Curia in noſtræ, publicæque rei Procuratorem, atque Patronum eſſet adſumptus. Atque in hoc ſane miniſterio, quod pluſquam decennium tenuit ad multorum invidiam, ad omnium admirationem, qua fidei integritate ſe geſſerit, quantum Familiæ, rebuſque noſtris decoris adtulerit, & emolumenti, cum de admodum paucis memorim proditum ſit, enarrare vix poſſum, at animis hominum perſuadere ne vix quidem, Illo res noſtras procurante, nil ejus conſilio

ſu-

ſuſceptum, quod non felix, fauſtumque nobis contingeret. Gordii nodi non ſemel objecti ſunt extricandi: ut ſuum miniſterium impleret, non eluderet, explicavit conſilio, quos alius vix ferro ſecuiſſet. Quid ni vero Auditores optimi? Tanta in eo erat eloquentiæ vis, tanta ſermonum dignitas, tanta ſuavitas morum, ut adverſarium in publica cauſa habere Cajetanum optarent illi iidem, quibuſcum de Familiæ noſtræ negotiis, re ita poſcente, contentio erat, atque diſſidium. Sed in immenſum abiret oratio mea, ſi de ejus innocentia ac morum honeſtate, quæ prima ergá Deum pietatis, ac præcipua pars eſt, dicere vellem. Quam cum ipſe memini: & quæ (mecum familiariùs illo agente) tum in ſacris ædibus, tum domi, tum in itinere, aut chriſtianæ devotionis officia ſimul perſolvebamus, aut recitabat ſolus, acerbiori me vulnere ob ejus mortem ſentio perculſum. Vos, Viri doctiſſimi, non ex oratione, quam inſolito luctu territam videtis alió dilabi, ſed ex ipſo dolore meo rem omnem penditòte; ea enim ornamenta virtutum multo honeſtiſſima,

quæ

Digitized by Google

quæ ad Cajetani memoriam dignius uberiuſque celebrandam, a me produci poſſent; ab aliis (1) certo exploratoque conſilio conſignata literis, vos ipſi jam pridem accepiſtis. Virtus diu exercita, multumque probata, poſt emenſos ſumma cum dignitate gradus ferme omnes, eum tandem obtinuit (ſerius forte quam oportuit) obtinuit tandem, quem tenebat maximum, & ampliſſimum; ad quem non gratia aut quæſito favore, non ambitu doloſo, ſed ſolo virtutis merito fuiſſe vocatum, & evectum, nemo eſt, qui jure dubitaverit. Quod ſi erga illum ſpectare etiam velitis ſummorum Principum voluntatem, & iſtud non caret pretio, nec enim poſtrema laus eſt placuiſſe iis Principibus; quorum ſingularis prudentia, ac plane divina mens nec ſine delectu, nec ſine numine conſulere hominum

for-

---

(1) *Innuimus CL. Virum Agnellum Puglia U.J. Docterem eximium, qui in defenſione jurium Fratris amantiſſimi Epiſc. Nicoſtren. erudite conſcripto, illuſtrem Cajetani memoriam poſteritati tradidit, virtutum ejus enarratione inſtituta.*

fortunæ conſuevit. Jam vero quam ſibi gratulabatur univerſa Minorum Familia, quantam de Cajetani virtute, ac pietate conceperat ſpem, quam late per univerſum orbem ejus nominis fama, & gloria rerum geſtarum pervagata fuerit, quibus denique omnium votis cuperent ad ſummum in ordine dignitatis faſtigium extollere, qui Vallifoletum ex univerſo orbe confluxerant, Generalia Ordinis comitia celebraturi, tanta ac pene innumera graviſſimorum Patrum multitudo aperte id palamque declarant. Quî enim fieri poterat, ni ſapientia ejus, ni pietas, ni virtus cunctis eſſet perſpecta, ut eum tot tantique viri moribus, indole, gentibus cœloque diverſi, in Præfectum univerſæ familiæ cooptarent? Una equidem omnium vox erat (omniumque animis alte jam inſederat cupiditas hæc, & opinio) ut utilem rebus noſtris navarent operam, ſub Cajetani nutibus, imperioque univerſam Familiam eſſe reponendam. Atque jam, Patres Religioſiſſimi, eum cooptaſtis; nec ullo prorſus modo expreſſis, coactiſque ſuffragiis, ſed ſumma fere omnium

ve-

veſtrûm gratulatione, conſenſioneque ad totius Ordinis Præfecturam extuliſtis. Ecquid vero ad utilitatem, ecquid ad felicitatem, ecquid denique ad laudem optabilius a vobis ſperare potuiſſemus, ecquid gloriosius, & jucundius accidere nobis, quam ut ſub Cajetani regimine ſederemus in pulchritudine pacis, & abundantia juſtitiæ? Eo itaque in tanta dignitate conſtituto, o utinam videre nobis licuiſſet tot gentium Hyſpaniæ frequentiam pene incredibilem, oppletas undique vias, alacrem hinc, atque inde Senatum, equeſtrem Ordinem, populum univerſum, (1) ubique par gaudium, paremque clamorem! Quantum vero creverit Procerum, atque Magnatum, quanta ex adventu ejus in Matritenſem Urbem lætitia percepta fuerit, cum mentibus veſtris reputate. Te nunc, Invictiſſime Hyſpaniarum Rex, (quem ęternum vivere ſuperi velint) Te, inquam, appello, qui tanta honoris, ac majeſtatis magnitudine, tanta clementiæ tum ſignificatione, Cajetanum exci-

ci-

(1) *Ex Plin. in Paneg. Traj.*

Digitized by Google

cipere dignatus es, & honorificentiſſima inde declaratione ampliiſſimo, nobiliorique Equitum tuorum cætui adſcripſiſti. Gratum tibi fuit piiſſime, & potentiſſime Rex, gratum denique Urbibus, & Regnis tuis, illum tot honorum inſignibus augere, in quo tantam eloquentiæ, & oris dignitatem vel ex ipſo illius aſpectu, & ſermonibus admirabare. Nimirum ea erat optimi Parentis indoles, ut, ubi Se alicui dederat, in eo ſtatim admirationem, & benevolentiam commoveret. Nec minora ei, quæ a Philippo V. Catholico Rege acceperat, Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, non minùs belli, & pacis gloriâ, quàm religione immortalis Ludovicus XV. magnifica quidem Regalis clementiæ ſuæ dedit argumenta. Nulla enim Civitas fuit, Regio nulla in florentiſſimo Galliarum Regno, quæ ad Cajetani ingreſſum præ ingenti gaudio non commoveretur, & maximis, diſtinctiſque honoribus eum non cumularet. Ubi vero cœpit Capitolium aſcendere, quam lætus Romani populi concurſus! Quam peculiare gaudium! Quam ingens frequentia! Mira erga

eum fuit Benedicti XIV. Pontificis O. M. (quem feliciter regnantem diù ſuperi ſoſpitent) mira Purpuratorum Patrum, mira Principum Romanorum dignatio: Ut jam incredibili plauſu Sacram ipſam dignitatem non minùs, quàm virtutem illam, qua ſibi dignitatem tantam comparaſſe noverant, commendarent. Quæ vero fuit (ut in eum locum redeat, unde exordium ſumpſit oratio) Cives optimi, Regię urbis hujus exultatio, quæ totius populi devotio, quæ Principum omnium lætitia, cum ab Urbe Roma in hanc ingrederetur?

Vidimus referta tecta, (1) ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui nonniſi ſuſpenſum, & inſtabile veſtigium caperet. Vidimus, nunc ſacrorum ordinum, nunc Equeſtris, nunc Militaris flore eum circumfuſum, eumque parvulos noſcere, oſtentare juvenes, mirari ſenes, quin ętas ulla, aut ſexus retardaret, quominus oculos inſolito ſpectaculo im-

(1) *Ex Plin. in Paneg. Traj.*

impleret. Sed cum maximam illam, Invictiſſime Carole (cui longam Deus fortunatamque det ætatem) recordor benevolentiam tuam, ſtupet animus, piiſſime Rex, atque deeſſe mihi ſentio facultatem dicendi, qua poſſim tam honorifica erga eum Regalis, Excelſique Animi tui ſenſa referre. Illum quippe (ne cuncta prętercam) tanto honore dignatus es, ut inclyta uxor tua, ullo ſatis nunquam laudationis genere commendata, Amalia Regina piiſſima ab ejus manibus Sacrum Patriarchæ Franciſci habitum tanta cum religione, & pietate ſuſciperet. O rem magnam, & excelſam, & omnium Gentium literis, & vocibus prædicandam! Atquè ita, Auditores; infelici fato contigit nobis; ut quos ubi primum lætior paulo rerum facies, & ſerenitas excepit, quo tempore nobis præſidebat Cajetanus, nunc eo ſublato, derivatam in nos tantam gloriam, nonniſi luctuoſo, acerboque mærore recordemur.

Et vero non ignobile ſodalitium crat (1),

D 2 præ-

(1) *Ex Nazianz. in obit. Baſil.*

præceptorem illum habens; ac ducem ſequens, cujus pietas nos inſtrueret exemplo, regeret imperio, authoritate ſuſtineret. Habuit utique veteri, & recenti memoriâ Familia noſtra Paſtores, qui facti forma Gregis non minus exemplo, quam verbo nobis Duces ad omne opus bonum, ad gloriam, ad ſapientiam, ad optima quæque fuerunt: Sed ni mea me fallat opinio, quantum noſtræ invidebunt felicitati, quod nobis datum ſit Cajetani nutibus obtemperare tanto dolebunt poſteri vicem noſtram, quod nobis prærereptum, & extinctum deflere contigerit. Quæ enim nobis commoda, quæ beneficia non procuravit, ut jam eum diceretis, totum fuiſſe in rebus noſtris augendis, obeundis, perficiendis? Et vero rectiſſimam hanc ejus voluntatem probe novit Optimus, idemque Maximus Benedictus XIV. (quem cum nomino, ſatis videor commendaſſe) qui fere totam Apoſtolicæ Authoritatis plenitudinem Pontificio diplomate Cajetano conceſſit: quo de Familiæ noſtræ legibus, de ſtudiis, de novitiorum domibus, &, ſi quæ majora velitis;

de

de Provinciarum Præfecturis ad arbitrium agere, diſpenſare, transferre, & conſulere, ei permittebatur. Atque hoc ſane privilegium mihi ad orationis copiam obtigit cumulatiſſime: quod ſi vel leviter expendatis, intelligetis apertiſſime, quantam de ſe Cajetanus ſpem excitaverit, cui hæc concedi potuerint tantæ Auctoritatis incrementa. Nam ſi laudari a laudato viro in optabilium rerum genere docti homines ſtatuerunt, tam honorificum Pontificis optimi, ac Sapientiſſimi de Cajetano judicium: quo, vocatus Ille (1) in poteſtatis plenitudinem, Parentem noſtrum tanta auctum auctoritate in partem ſolicitudinis advocaret, & tanto, ac tam præclaro munere dignaretur, ſummum profectò eſt, atque immortale honeſtę laudis Ornamentum. E re, itaque & uſu noſtro eſt, Pater Beatiſſime, quod Tu ad dubia tempora reſervatus Princeps totius Eccleſiæ (2) & Sacrorum Antiſtes

ſu-

(1) *Ex S. Bern. lib. 2. de Conſid.*
(2) *Ex Epiſt. Lud. XI. Reg. Gall. ad Pium II.*

Digitized by Google

ſuſtineres Divini Pontificatus Majeſtatem, atque in Petri Cathedra, immo Petrus ipſe (1) in propria ſede viveret, & præſideret. Inde enim factum eſt, ut ſibi Familia potiſſimum noſtra gratuletur in dies, quæ longe plura ex Te, ac majora accepit pignora benevolentiæ, quàm ut vereri potuerit, ne Tibi ex altiſſimo dignitatis faſtigio, tamquam è ſumma ſpecula humana omnia deſpicienti, ipſa propter nominis, ac rerum ſuarum tenuitatem ex oculis evaneſceret. Qui interim ad juvandos, & ornandos mortales ſpontè incitaris, eumque habes animum nihil niſi de Deo, & utilitate publica cogitantem, Te in tanta rerum ſuarum calamitate ſupplex orat ex Univerſo, qua late patet Orbe Terrarum Seraficus Ordo, ut qui meliora omnia Te clavum tenente ſperare incepit, nunc parem ei, quem amiſimus, Rectorem nutu etiam, ac voluntate tua ſibi datum eſſe gratuletur. Tantum igitur ab optimo, & ſapientiſſimo Pontifice,

Apo-

(1) *Ex S. Petr. Chryſ. ad Eutych.*

Apoſtolicæ Auctoritatis arbitrium Cajetano collatum, quum illuſtre fuit, & glorioſum magnæ in eo probitatis argumentum, tum ſibi erat Pontifex Sanctiſſimus veluti exemplum quoddam veræ Sapientiæ, & antiquæ Virtutis ad imitandum. Nullum idcircò ab eò intermiſſum opus, nulluſque labor, quo ad ordinis gloriam augendam, quum literarùm, & ſcientiarum omnium, tum Sacræ eruditionis ſtudia promoveret, & nova cuperet inſtituenda Collegia. Nam ſi adoleſcentum noſtrorum ingenia ad ſolidam optimarum rerum eruditionem aſſurgere gaudemus, quis & monitis, & exemplo ad eam excolendam magis inflammavit, quam Cajetanus? Quis in deſignandis tum liberalium diſciplinarum, tum facultatis Theologicæ Magiſtris aut rigidiùs ſe geſſit, aut accuratiùs, quam Cajetanus? Quare tot ille ſuſcepit itinera per Italiam Univerſam: eumque plurimis, maximiſque negotiis implicatum mirabamur, quod ea tamen cogitatio inceſſerit, & cura exercuerit, ut in Scholis noſtris, antiqua jam ſcientiarum laude illuſtratis, optima earum ſtudia excolerentur:

Mi-

Mirabamur omnes, atque ipſe ego præ omnibus mirabar, Parentem optimum duorum fermè annorum intervallo gravi licet, immanique morbo laborantem, & afflictum, nunquam ab immenſis Familiæ noſtræ curis avocaſſe animum, nunquam ab Eloquentiæ ſtudiis, nunquam a ſelectioribus melioris notæ libris abſtinuiſſe. O acerbum literarum caſum quæ tantum alumnum tam triſti funere, tam inſperato ammiſerunt! Magnum, Auditores, universo Ordini, magnum adoleſcentibus noſtris uberrimumque fructum pollicebatur tanta ejus ſolicitudo in literis exornandis augendis. Sed heù ſpes fallaces! heu cogitationes inanes! Extinctæ jam cæsſunt, atque (proh dolor) cum Cajetano ſepultæ. Aſt quo me rapit doloris impetus? Quæ mihi crudelis illius, diuturnique morbi cogitatio ſubit? Superi meliora! Jam vero nunc ego viri clariſſimi inſignem animi pietatem in Cajetano videre, & plus quam humanæ virtutis aliquid internoſcere mihi videor. Equidèm in maxima dolorum acerbitate toleranda, quibus præmebatur ſæpiſſimè, atque tanto tem-

po,

poris intervallo atroci inedia, & bene longo vigiliarum tædio afflictus, quæ conſtantiæ, quæ fortitudinis, quæ patientiæ non dedit argumenta? Quis enim illum aut plorantem vidit, aut vicem ſuam dolere audivit, & lamentari? Immo verò ſupremo rerum omnium Patri gratias agere, ac veluti ſui oblitus Familiam ſibi concreditam Sanctiſſimo Patriarchæ commendare, nec aliud, quam aliorum preces pro ſe in tantis ærumnis quærere levamentum. Infirmitatem Corporis Animi virtute ſuperavit, dolebatque ſolùm ſe ad conſulendum rebus noſtris ea, qua ſolebat ſolicitudine imparem eſſe. Quo verò animo fuiſſe exiſtimatis amantiſſimum Patrem in tam acerbo morbo, atque miſero? Abdicare ſe maximam, ampliſſimamque Ordinis Præfecturam concepta ſententia ſtatuerat: Ni ſummorum Virorum conſilium, & planè Divina Voluntas (quod ipſemet ſæpius audivi) ei reſtitiſſent. O moderationem penitùs inauditam! O rerum humanarum contemptum ſingularem! Hoc enim verò Divinæ cujuſdam virtutis eſt, quò quantum Pincipes ſuprà pri-

vatam hominum conditionem aſſurgunt, tantùm Cajetanus dignitatem illam ſuam, quæ certe maxima eſt, animi magnitudine ſuperavit. Prædicent alii, per me licet, prædicent illud prò regulari diſciplina inſtauranda intrepidum ejus, atque acerrimum ſtudium: demirentur alii in bonos quoſque, & literatos homines egregiam ejus voluntatem, atque demum alia hujus generis multa: ego verò, nec illuſtrius, nec inſignius ſinceræ ejus animi, & conſtantiſſimæ erga Deum pietatis reputo teſtimonium, quàm temperantiam illam qua nihil (1) appetebat pœnitendum, in nullo legem moderationis èxcedebat sub jugum rationis domabat cupiditatem.

Age verò quàm piè, quàm fortiter oblatam ſibi mortem excepit. Non expalluit, non commoveri viſus eſt, non ſuſpirium duxit, niſi fortê ex amore, cum Chriſti Servato-

(1) *Temperantiam ſequuntur modeſtia, verecundia, abſtinentia, caſtitas, moderatio, parcitas, ſobrietas, pudicitia. Macrob. in ſomn. Scip. lib. 1. c. 8.*

Digitized by Google

toris effigiem intueretur, maximamque præſtitit, & ſingularem animi præſentiam, & magnitudinem. Mærebant perfuſis lacrymis Fratres contubernales,. quibus ad ſe convocatis, quid enim, inquit, Fratres, ac in Domino dilectiſſimi Filii vicem meam doleatis, quem hujus vitæ laboribus oneratum vocat in æternam requiem Clementiſſimus Deus, & Redemptor noſter? Me equidem ſentio indignum, cui Cœleſtem beatitatem concedat: hanc tamen mihi faciunt ſpem ejus vulnera, & sanguis, quem pro me obtulit Patri. Vos ſi quid erravi, ignoſcite precor per miſericordiam Dei: atque per Sacratiſſima Patris noſtri Franciſci Stigmata, cujus, licet indignus, locum tenui, inſtantèr exoro; hanc enim mihi veniam indulgebitis vos, quam à Jesu Chriſto Servatore noſtro me jam obtinuiſſe ſpero ſecurus. Vos interim, Fratres, ad earum virtutum, quibus ornati eſtis, & Religioſæ Vitæ ſtudium jugiter attendite: Coronam Juſtitiæ à Summo bonorum omnium largitore tandèm recepturi. Quid enim quærimus in hujus vitæ procellis? Invitat nos

Digitized by Google

Deus ad portum quietis, atque nonniſi in Crucifixi vulneribus omnem gloriam eſſe collocandam, certi reddimur Patriarchæ pauperum exemplo .. Ejus veſtigia premere ſatagite Filii in Domino amantiſſimi, & juratam illam aſperam vivendi regulam obſervare. Hanc vos, ſi me auditis, rebus omnibus anteponetis: Hæc ſola namque eſt, mihi credite, quę nobis ſolatium adferat, cętera fidem fallunt. Atque hæc ille aliaque plurima de Dei Clementia, & rerum humanarum contemptu diſſeruit tantâ verborum ſuavitate, & cordis teneritudine, ut adſtantes Fratres intimo mœrore afflicti in lacrymas, gemituſque erumperent univerſi. Iis demùm, & universâ Familiâ Minorum cum Seraphica, tùm Cœleſtium omnium benedictionum plenitudine cumulatis, conſtantèr adeò, & lęta fronte mortem oppetebat, ut jam non mori, ſed novam illam vivere beatam vitam, & immortalem videretur.

Plura dicerem Auditores, ſed mihi vocem vehementiſſimo dolore ſentio interceptam. O acerbam Cajetani mortem! O rem luctuo-

ſam!

ſam! O miſerum, non meum modò, ſed & univerſæ Familiæ caſum! Ita ne Cajetane Pater, Te noſtris obſequiis, rebuſque noſtris tam citò ereptum dolere debuimus? Te, quem æternum vivere cupiebamus, tam ſubitò, tam acerbo funere extinctum deflere? O jacturam! O infortunium! O diem atrociſſimum! Sed animum erigamus tantiſpèr, Cives optimi, atque Cajetani mortem benevolentiæ, & miſericordiæ officiis proſequamur: Ut (1) quotieſcumque de clariſſimo, & religioſiſſimo Viro cogitemus, illum potius, quam noſmetipſos diligere videamur. Quod ſi res totius Franciſcanæ Familiæ noſtræ Rectore jam carent, eamque acerbiſſimo caſu contaminatam intelligimus, vos idcircò, vos adloquor, Patres Religioſiſſimi, à quorum arbitrio, & Sapientia pendent graviora Ordinis negotia, & regimen univerſum. Solertiſſimos, uti eſtis, in momentoſa adeo re vos oſtendite; Deligite *Syncerum Miniſtrum,*

ſtrum,

---

(1) *Ex Tull. in lib. de clar. orat.*

Digitized by Google

ſtrum, *Fidelem Diſpenſatorem*, conſulite viduato Ordini Paſtorem, atque Patriarcha Pauperum Franciſco digniſſimum, deligite Præfectum. Verùm quæ nobis in tantis ærumnis levamenti ſpes: qui ob Cajetani jacturam noſtro incommodo, detrimentoque neceſſe eſt doleamus? Deeſt enim (ut cum Ambroſio claudam) deeſt conſolandi via (1), cum Religionis adſtruunt lacrymas, non doloris.

Sed Vos, Viri doctiſſimi, enixe precor: incultum, atque rudem Orationis Stylum benignè feratis; nec enim in tanta temporis anguſtia, acerbo dolore, aliiſque laboribus penè fractus præſtare poteram, ut digna re, digna loco, digna auribus veſtris oratio contingeret. Dixi.

F I N I S.

(1) *In Serm. de Obit. Satyri Fratris.*

Digitized by Google

Digitized by Google